

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

*S. in Christo, qui est vera & unica salus nostra. Reverende
& Clarissime Domine Doctor, amice observande.*

Colloquium quod cum filiis tuis, cum hac transfiret, mihi intercessit, tum propter præclaram ipsorum eruditionem & humanitatem, tum vero propter multas illustres sani & pii de controversiis Ecclesiasticis iudicii significationes, suave & jucundum mihi fuit, atque utinam meam erga parentem & filios benevolentiam illustri aliquo officio ipsis potuissent probare & testatam facere. Literas ipsis inscriptas, quas nuper accepi, per certum hominem Rostochium euntem ipsis tradendas curavi, quas verò huc discedentes ad te mittendas apud me reliquerunt, illas mereatori cuidam tradideram, sed post longum tempus eas mihi retulit, eas igitur nunc tibi mitto. Tubingensium Confessionem intelligo ita accipi, quod à nostra non dissentiat; Sed gratiam, quam habere & potuerat & debuerat, magna ex parte non invenit, propterea quia edita est non suo tempore, cum à bonis omnibus expetebatur, sed post festum, quod dicitur, quia non habuit testimonium subscriptionis, seu potius consensionis Ecclesiarum Superioris Germaniæ, id quod ab omnibus expectabatur, & multum prodesse potuisset communi causæ, & quia tam timidè agit, ut vix à longè ausit subindicare, quibus opposita sit, &c. Per insidias, non aperto Marte suam agunt Witebergenses, non enim audent erumpere, metuentes Electorem Saxonicum, qui magis fuisset motus, si Tubingensis confessio opposita fuisset communi omnium Suevicarum Ecclesiarum, ἀλλὰ τὴν ἡμετέραν ἰσορροπὴν ἐχθροὶ πρὸς. Nuper ad nos allatum est scriptum quoddam Heidelbergensium, complectens narrationem historiæ de formula Concordiæ, Anno 1536. constitutæ, cui ut opponatur alia vera narratio & declaratio, utilitas Ecclesiæ omnino flagitat. Nobis vero in hisce aut in vicinis locis historia illa non satis est perspecta. Non dubito autem, in vestra Ecclesia extare plenam annotationem illius historiæ. Diligenter itaque oro, ut re bene considerata ex veris annotationibus certum aliquid gravi narratione opponatur istis Heidelbergensibus chartis, atque quamprimum me edoceas, quod hac de re vestrum sit consilium, vehementer oro. Bene & feliciter in Christo vale. Brunsvigæ, 26. Februarii, 1573.

I.

Martinus Chemnitius.

CXXVII.

Salutem in Domino.

Partiar ea, quæ significanda vobis puto, meo more; ut ad te, mi Erasme, de Ecclesiâ scribam, ad M. Philippum de Schola. Cum Consuli Lorchero
LII 2